



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De Conciliis generalibus, cap. 34.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

(inquit) sub Papatu plurimū esse boni Christiani, imò omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Quippe fatemur, in Papatu veram esse scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras clauēs ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum, vt sunt, Oratio Dominica, Decem præcepta, Articuli fidei, Dico insuper, sub Papa veram Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis esse. Confer quæso (Illustrissime Princeps) hæc prima & nouissima Lutheri tui scripta, ad furores eius, quibus insaniuit contra Papam in Babylone, in visione Danielis, in Abroganda Missa, in Assertione articulorum, in execratione Bullæ, in iudicio de votis, &c. vt cogites, quid respondere queas propediem, Deo, Cæsari, & Concilio.

De Conciliis generalibus.

CAP. XXXIII.

QVàm iniurius contumeliosusque & blasphemus in sacra Concilia fuerit plerunque Lutherus, nouerunt sanè omnes, qui eius insanias in Babylone, in Abroganda Missa, in visione Danielis &c. legerunt. Ego breuitatis gratia, ex 500. tantū articulis, ad quos respondi ante aliquot annos, quædam succinctè commemorabo hîc, vt videas (Illustriss. Princeps)

quàm varium & contrariū sit hominis (si modo homo est & non potius Diabolus: vt multis videtur, etiam Cæsari incarnatus ac male cucullatus) super vna & eadem re iudicium. Ait igitur in Sermone xj. super illud Christi, Attendite à falsis prophetis. Matth. vij. Hoc (inquit) Euangelium subuertit funditus & radicitus Papatum & omnia Concilia, quia non tenemur seruare, quod Papa præcipit, & homines cōstituunt. Ideo adhuc semel dico (inquit) Capite hoc Euangelium, quia neque Papæ, neque Conciliis, neque vlli hominū commissum est, vt constituat & concludat quid sit fides, quia dicit, Cauete à falsis. Oportet igitur Euangelium mentiatur, aut Papa simul cū Conciliis. Ideo debeo dicere, Papa tu conclusisti cum Conciliis, nūc habeo ego iudicium, an acceptare queam necne. Quare? Quia non stabis pro me & respondebis quando debeo mori. Et falsam doctrinam nemo iudicare potest, nisi spiritalis homo. Ideo res est insana, quòd Concilia concludere & statuere volūt, quid credendum sit: Cū sæpe nullus vir ibi sit, qui diuinum spiritum vel modicum olfecerit, sicut contigit in Concilio Nicæno, vbi tractabant & volebant leges condere super statu Ecclesiastico, ne essent in matrimonio. Ibi iam omnes erant falsi. Tunc procedebat vnus tantum homo Pafnutius, & refutauit hoc totum dixit: Non ita, hoc non est Christianum. Tunc totum Concilium q-

In 500. art.
art. 115. &
seq.

portuit ab ista conclusione desistere propterea est verum adagium, Qui docti, ij subuersores, quia Deus altis titulis & humana sapientia valde inimicus est. Hæ sunt, (Illust. Princeps) rationes & scripturae, propter quas putat spurius iste, Goliath Saxonicus, se iure insultare Ecclesiae & exercitui Dei viuentis, exprobrans nobis tota die, Ecclesia, Ecclesia, Ecclesia, Concilia, Concilia, Concilia, Decreta, Decreta, Decreta, Patres, Patres, Patres. At paucis antè annis longè aliter sensit, scripsit, dixit, fecit. Nam Augustæ, sub Cæsare (gloriosæ memoriæ) MAXIMILIANO appellauit à Legato, à Papa & sede Apostolica, ad futurum Concilium, & quidem seditiosissimis verbis: Quanquã paulò ante in eisdem actis ita protestatus fuerat. Ego frater Martinus Luther, Augustinianus, protestor me colere & sequi sanctam Rom. Ecclesiam in omnibus meis dictis & factis, presētibus, præteritis & futuris. Quod si quid contra vel aliter dictum fuit vel fuerit, pro non dicto haberi & habere volo. Nec multò aliter protestatus est: deinde anno insequente in disputatione Lipsica. Vbi & Nicenum Concilium (quod hic suggillat) omnium sacratissimum dixit. Et in Schedulam Stolpensem scribens, ait. O quantis diris & furiis in me agerent isti Stolpenses, seu potius Talpenses (vt sic dicam) si ego tam blasphemus & impio dogmate statuissem, non licere loqui de potestate Conciliorum, nec optare statutum

*1. Reg. 7.
In lib. de
abroganda
Missa.*

*In Resolu-
tione conclu-
sionis 26.
Contra ma-
lignum Ec-
cē iudiciū.*

*In lib. 1. cō-
tra Zwin-
glium &
Occolampa-
dium.*

eiusdem potestatis. Et merito. Quid enim (inquit) vel ipsorum iudicio potest esse par huic impietati & blasphemix? Quoties deinde meminit honorificè Conciliorum in Resolutionibus suis? in Io. Eckium scribens, cum notatus esset, quod nihil teneret de Conciliis generalibus, ait, Hunc articulū non esse meū, credo (inquit) intelligit quicūque Resolutiones meas & Dialogum contra Sylvestrum legerit. Quādo id vnicè deploro ac gemo, nos dignos non esse, vt videamus legitimū Concilium. Et nunc tandem post longas Suermeritates vagāsque insanias, fatetur rursus contra Suermeros suos. Si diutius staterit mundus, iterum fore necessarium, propter diuersas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt vt ad conseruandam fidei vnitatem Conciliorum Decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus. O virilem cuculli huius constantiam.

De Bohemis, Hussitis.

CAPVT XXXV.

IN disputatione Lipsica grauitè tulit Lutherus, velut contumeliam, quod D. Io. Eckius insimulabat eum Bohemicæ factionis studiosum, & plane patronum, dicens ibi publicè coram omnibus, nunquam sibi placuisse, neque inæternum placiturum esse, quodcunque Schisma inique faciūt Bohemi, quod